

Liam, regressurus in die gaudii cum electis utriusque populi. Per cancellatas manus Jacob, figuram crucis exprimentes, quibus minorem nepotem prætulit majori, Genes. XLVIII. Ita enim Christus per crucem gentilem populum prætulit Judaico, juniorem seniori.

Secundo, in lib. Exodi, per virgam Moysis, quæ projecta mutata est in serpentem, Exod. VII. Ita enim spreta et abjecta crux, versa est in sapientiam, quæ mundanam omnem sapientiam devoravit, uti virga Moysis virgas magorum. Per veru, in quo assatus fuit agnus, Exod. XII. in cruce enim assatus Christus igne amoris. Per columnam nubis igneam, quæ Hebræos per desertum duxit et protexit, Exod. XIII. idem nobis præstat crux. Per lignum quod aquas Marath dulces reddidit, Exod. XV. lignum enim crucis seu memoria ejus omnes nobis labores et dolores, omnes asperitates dulces facit. Per altare ligneum positum extra tabernaculum, in quo cremabatur agnus, Exodi XXVII. talis enim crux extra Jerosolymam.

Tertio, in l. Num. per vectem, in quo gestarunt notrum duo exploratores, Num. XIII. Christum enim crucifixum præcessit populus Hebræus, secutus est gentilis, uterque tamen Christum gestavit. Per virgam Moysis, qua percussit petram, et eduxit inde aquam, Num. XX. petra enim est Christus, qui bis, id est, duobus crucis lignis percussus, protulit aquam populo. Per serpentem æneum, Num. XXI. quia ut is figuram serpentis habuit, non vitam et venenum, in pertica exaltatus et aspectus a Judæis sanavit morsus serpentis; ita Christus formam non veritatem peccatoris habuit, in cruce exaltatus sanavit aspicientes se per fidem a morsibus dæmonum.

Quarto, in lib. Josue. Per funiculum coccineum pendente de fenestra Rahab, Josue II. hic enim quid est aliud quam crux in frontibus Christianorum descripta, ad securitatem illis præstantiam, et passionis Christi memoriam ingerentiam.

Quinto, in l. Judicum, per duas illas columnas quas dum apprehendit Samson et concussit, Philisthæos occidit, Judic. XVI. sic enim Christus extendendo manus ad crucis brachia concussit terram et oppressit peccatores, dum e peccatoribus fecit confessores.

Sexto in libris Regum. Per baculum Davidis, I. Reg. XVII. Quam enim stultum et ridiculum videbatur baculo pastorali oppugnare Goliathum; tam insanum putabatur per crucem vincere dæmonem. Per lanceam Saulis, qua nitebatur configere Davidem; sed David declinavit ictum et lancea rasso vulnere perlata est in parietem, I. Reg.

XXIX. sic enim Pater cœlestis Filium suum ob peccata nostra cruce confixit, ita tamen ut crux in parietem tantum humanitatis ejus ferretur, illæsa divinitate. Per cathedram Davidis regis, in qua sedit sapientissimus princeps inter tres, quasi tenerrimus ligni vermiculus, IV. Reg. XXIII. Per baculum Elisæi, IV. Reg. IV. quia ut baculus ille sine Elisæo nihil poterat, ita crux sine Christo.

VI. Patet ex miraculis, virtutibus, apparitionibus, quibus eam Deus nullo non tempore varie nobilitavit. Pleni sunt harum rerum libri, et videre est apud Patrem Gretserum citatum, præsertim, l. II. cap. LXIII. LXIV. etc. Nam ut obiter quid dicamus, inundationes aquarum per crucem sunt cohibitæ; maris apud Epidaurios a S. Hilarione; Danubii apud Quintanas a Severino, etc. bestiarum feroces et noxiæ per crucem domitæ vel occisæ, uti leo vias infestans a Chrysostomo; spectra crucis præsentia et erectione fugata; tempestates sedatæ; dæmones ab energumenis pulsati; cruces seu imagines crucifixi aliæ locutæ sunt, aliæ liquorem seu sudorem, aliæ sanguinem emisserunt, una Ratisbonæ in templo Augustinianorum dubitanti in missa sacerdoti calicem manu demissa eripuisse perhibetur, et testatur basis inscriptio. Præterea miracula in crucis inventionem et exaltationem ostensa, quia vulgo nota. Crucis apparitiones multæ et nobiles sunt, qualis illa imprimis, quæ apparuit Constantino Magno et victoriam ei contra hostes suos portendit; alia Jerosolymis a Calvaria monte usque ad montem Oliveti protensa Constantino imperatori sub exortum hæresis Arianæ, significans Ecclesiam de ea hæresi triumphaturam crucifixi beneficio. Simile et aliæ plures sub Juliano apostata, aliisque imperatoribus, ut videre est apud Gretserum, l. III. Omnium denique nobilissima totique humano generi conspicua erit in die judicii, cum in cœlo apparebit ad solatium electorum, et terrorem reproborum. Nos ergo, auditores, ut eam in die illa lætis intueamur oculis, nunc amplexemur, et colamus et exaltemus. Monuit nos Sapiens, Prov. IV. *Audite filii disciplinam patris*, subditque de hac disciplina: *Arripe illam, et exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus, etc.* Quæ est disciplina patris nostri Christi? Passio et crux. Audi Isaiam, cap. XXXV. *Disciplina pacis nostræ super eum*. Apprehendamus ergo, osculemur et amplexemur hanc disciplinam, ut nos glorificet: exaltemus eam quibus possumus modis, ut nos exaltet in tempore visitationis, et velut columna ignis inducat in terram promissionis. Amen.

CONCIO III.

BENEFICIA SEU EFFECTUS S. CRUCIS.

I. S. crux affert decus et gloriam. — II. Sedat æstum tentationum. — III. Consolatur. — IV. Tuetur.

THEMA.

In columna nobis ductor eorum fuisti. Nehem. IX.

Quando salutiferum crucis signum intueor, videre mihi videor columnam illam nobis, quæ eduxit Israel de Ægypto. Memini enim S. Hieronymum, in Ps. CXCIV. dicere, crucem Christi esse: *Humani generis columnam*: et Socratem, l. V. hist. c. I. scribere Constantino Magno, crucem divinitus ostensam fuisse *columnæ* figura, quasi veterem illam nubis columnam exprimere voluisset. Nam imprimis uti columna illa Deum populi ductorem representabat: ita et crux Christum ducem nostrum nobis representat. Illa duce Moyse populum eduxit de Ægypto, hæc duce Constantino Christianos e gentiliū persecutionibus et tenebris: illa dividebat Judæos ab Ægyptiis, hæc distinguit fideles ab infidelibus: illa data est Israelitis, ut in tam difficili itinere suum haberent præsidium, hæc data Christianis, ut eorumdem refugium præsidium esset, dum peregrinantur ad patriam per mundi difficultates; adeoque in processionibus quæ peregrinationem illam significant, crucem anteferimus: sed quia hæretici nostri, inimici crucis Christi, intelligere nolunt ad quid faciat signum crucis, nos id illis demonstrabimus.

I. Columna illa, teste Procopio Gazæo, singulare decus afferebat Judæis; quod ejus ductu singularem esse sibi illius populi curam significaverit Deus, quocum tam amanter et mirabiliter ageret. Similiter nobis crux singularem affert gloriam et immensum decus, quoniam ea testis est Deum ita nos dilexisse ut Filium suum unigenitum, pro nostra redemptione in crucem tradiderit. Quid enim si servus regis a Turca captus mille auri pondo ab hero suo redimeretur, annon maximæ sibi gloriæ ducere posset, quod tanti a rege æstimatus sit? Servum illum ægrum, pro cuius sanitate miserat herus centurio seniores ad Christum et postea ipse venit, maxima cum humilitate et charitate pro salute servi supplicans, dixit Lucas, cap. VII. fuisse illi *pretiosum*: quia nimirum pro ejus salute herus ille tanta fecit. Quis neget etiam nos fuisse Deo pretiosos, quoniam pro nostra salute humiliavit se usque ad mortem crucis, ad Philip. II. Idcirco Ecclesia in benedictione cerei paschalis, canit: *O mira circa nos pietatis dignatio! O inestimabilis dilectio*

V. PARS FESTIVALIS.

charitatis! Ut servum redimeres, Filium tradidisti: et in hodierno officio: Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem salvati et liberati sumus. De Socrate philosopho dixit Seneca, in consolatione ad Helviam: *Socrates carcerem intravit ignominiam ipsi loco detracturus.* Multo rectius dicimus Christum suo contactu ignominiam cruci detraxisse, et pro ignominia gloriam et dedecus immensum contulisse. Hinc S. Petrus indignum sese judicabat, qui ad instar sui creatoris erectus in cruce penderet, ideoque petiit ut capite in terram verso crucifigeretur: hinc crucis signum voluit Constantinus Magnus vexillum sibi esse bellicum, lanceam suam in crucis formam fabrefieri, imaginem suam nunquam sine cruce fingi, imo in aureis nummis expansam in crucis formam et cœlum intuentem sculpi, militum suorum vestes cruce consignari, in palatii sui ingressu, in ædificio omnium excellentissimo, in medio tecti, laqueari inaurato, in tabula maxime explicata crucem ex auro et gemmis fieri, auctoribus Eusebio, lib. III. de vita Constantini, et Sozomeno, l. I. hist. c. VI. Exinde crux ascendit ad pontificum et imperatorum tiaras, ad summitates templorum, ad frontes denique nostras quas cruce consignamus, ut ejus gloriam palam, et coram toto mundo præferamus.

II. Columna illa refrigerabat, et ab æstu solis protegebat, seu ut Sapiens, cap. XIX. inquit: *Ombumbrabat castra Israelitarum*, utpote in calida valde regione. Similiter etiam crux optimum est remedium contra animi motus et æstum tentationum. Unde S. Chrysostomus, serm. de continentia Joseph, ait: « Sicut columna nubis figura nostræ crucis Hebræorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Ægyptiis paterentur: ita crux ante oculos visa omnem statim abigit malam voluptatem. Hæc enim salus animæ fœdarumque concupiscentiarum salubre antidotum. » Sic Chrysostomus. Idem, hom. LXXXVIII. ait, signum crucis imprimendum esse pectori ad cohibendos animi motus concupiscentiæ effrænes impetus. Similiter S. Bernardus, in meditat. ait: *Si pulsat te turpis cogitatio, si premit te caro, si dæmon paravit insidias, fuge ad signum crucis Christi et liberaberis.* Exemplum in vita S. Benedicti, cui cœnanti cum monachus quidam de magna familia inserviret et cogitaret infra se: *Quis sum ego, et qualis est hic cui inservio?* dixit Benedictus, cogitationem ejus videns: *Signa cor tuum frater, quid est quod loqueris?* Quo facto recessit tentatio, quemadmodum postea aliis recensuit monachus, Greg. lib. II. dial. cap. XX. ven. Beda, lib. III. expos. in id Cant. IV. « Sicut vitta cocci-

nea labia tua, ait, noxios sæpe cogitatus, dum incauta mente volvimus, ac subito respecti a Deo signum s. crucis pectori imprimimus, et quod nefarium tractamus, abjicimus, quasi vitta coccinea capillos nobis ligamus, quia fluxa cogitationum trophæo sacri cruoris comprimimus. » Sic ille. Idem videtur suasisse sponsus sponsæ, cum dixit: *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Cruce enim quasi signaculo vel sera obsignamus vel obsecramus cor nostrum, ne cogitatio, quæ adhuc versatur in phantasia, intret in cor ad voluntatem, complacentiam vel consensum. Hac enim crucis formatione teipsum admones, et mente excitas, ne consentias cogitationi, sed resistas, et quodammodo dicis Deo: Non te offendam Domine; apage tentatio, etc. Utenim vexilli aspectus milites, rubri coloris elephantes ad pugnam excitat: ita nos aspectus et impressio crucis ad dimicandum contra dæmonem. Quare non omnino fallunt hæretici, quando lignum crucis flabellum muscarum vocant: eo enim pellimus muscas pravaram cogitationum, et Beelzebub Deum muscarum.

III. Consolabatur et confortabat columna Judæos, dum ponebat se mediam inter Pharaonis exercitum et ipsos. Sic et crux confortat nos et animat contra perturbationes, terrores et phantasmata. Marcus eremita, de temperantia, cap. XXVI. (extat tom. V. bibl. sanctorum patrum) ait experimento se cognovisse, signum crucis pulsa omni perturbatione præstare serenitatem mentis: *Statim*, inquit, *post signum crucis, gratia sic operatur, sedat omnia membra pariter et cor.* Habeat certe nescio quid occultæ energiæ ad confirmandum hominem contra ejusmodi terrores, ut omnes experiuntur. Hinc cum fulgura micant, vel grandia tonitrua personant, cum in tenebris ambulantes timemus, cum spectram videmus, mox cruce nos signamus, S. Martinus dicebat Juliano: *Ego signo crucis munitus, hostium cuneos penetrabo securus.* Beatæ Magdalænæ, in antro pœnitentiæ dæmonum spectris infestata, ideoque Jesum invocanti, adfuit S. Michael, qui eos fugavit, et crucem in ore speluncæ erexit, dicens: *Ne timescas, custos tui est Altissimus.*

IV. Tuebatur adversus hostes, et dispergebat eos ab Israele. Nos quoque crux tuetur adversus hostes, omniaque adversa. Nam primo, terret et fugat dæmones. Testatur id primo, Origenes auctor antiquissimus, lib. de ritu Ecclesiæ, dicens: « Per crucis Christi signaculum, ipsum a nobis infernalem fugamus inimicum. » S. Chrysost. ait: « Ubicumque dæmones signum crucis Domini viderint, fugiant tamquam canes timentes baculum, quo plagam acceperunt. » S. Cyrillus,

cat. XIII. monet ut hoc signum ostendamus audacter: *Quando enim dæmones, inquit, crucem viderint, recordantur Crucifixi.* S. Antonius virtutem sanctæ crucis optime expertus suasit suis, ut cum dæmones viderent, se et domos suas cruce signarent: « Confestim enim, inquit, solventur in nihilum, quia metuunt illud trophæum, in quo Salvator aereas expolians potestates eas fecit ostentui, » ut in ejus vita. Idem virtute sanctæ crucis nixus, dæmonibus sub variis bestiarum formis ei apparentibus illud ejus dicebat: « Si quid valetis, si vobis in me Dominus potestatem dedit, ecce præsto sum, devorate concessum. Si vero non potestis, cur frustra nitimini? Signum enim crucis et fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus est. » Sic ille. Eodem signo crucis fonti impresso fugavit dæmonum ludibria S. Hilarion apud Hieronymum, in vita: et Sanctus Martinus, apud Sulpit. in vita. Pulsi deinde signo crucis dæmones sæpissime ex obsessis, uti a Sancto Patrocolo, S. Arnulpho, S. Cassio, Theodoro archimandrita, etc. apud Gretser. de cruce. Adeo exasam vel potius infestam habent crucem, ut ne domum quidem ea consignatam inhabitare velint ac possint. S. Gregor. Turonensis de S. Nicetio Trevirorum episcopo ait: « Jussit dæmoniacum extrahi, sed cum apprehensa columna evelli a decem viris non posset, sanctus Dei sub vestimento suo, propter jactantiam fugiendam, faciens crucem Christi e contra, dæmoniacum relaxari præcepit. » Eodem signo crucis fracta sunt idola, uti a S. Simplicio episcopo, a Sancta Clycèria virgine et martyre, a S. Procopio martyre, a S. Benigno, etc. nimirum uti Dagon corrui coram arca fœderis, nec ullatenus stare potuit, I. Reg. V. sic nec idola coram signo crucis, in qua fœdus ictum inter hominem et Deum. Cum S. Martina virgo nobilissima sub Alexandro imperatore passa, crucis signum sibi impressisset, Dianæ idolum, fulmine cælitus excusso comminutum est, apud Surium, to. I. Eodem pelluntur fascinationes, præstigiæ et veneficia. Evidatur, in prato spiritali ad Sophron. c. LXXXIII. refert navim novam, incantatam, trecentis operariis loco moveri et ad mare deduci non potuisse, nisi postquam abbas quidam navem cruce signavit: ex quo nauclerus cum paucis facile effectit, quod prius cum trecentis efficere non potuit. Nota est etiam historia S. Justinæ, quæ incantationibus Cypriani adhuc magis portentata ad illicitum juvenis cujusdam amorem, signo s. crucis omnia incantamenta ejus irrita reddidit, et dæmones ab eo fugavit: unde illi confessi sunt, nihil sibi virium adversus Christianos esse; ex quo Cyprianus conversus et Christianus factus est, adeoque demum martyr, apud Greg. Naz. orat.

m. S. Cypri. Trithemius, in chon. Hirsaug. scribens de Leopoldo duce Austriæ, anno 1323. inquit: « Fridericus dux Austriæ, qui contra Ludovicum Bavarum imperator delectus erat, inter Oetingam et Milndorfum magno prælio victus, et Leodovico traditus, qui in arcem munitam eum asservandum misit. Magus interim quidam Lupoldo fratri ejus promisit, se sua arce Fridericum incolumem educturum, unius horæ spatio, si digna sibi merces numeraretur. Dux liberaliter promisit, ergo dæmon ad Fridericum ablegatus avolat in Bavariam, formaque peregrini assumpta, custodiam ingreditur, inquit: Si ex captivitate liberari vis, hunc equum ascende, et te in Austriam ad fratrem tuum Leopoldum incolumem perducam. Qui dux: Qui es tu? Ad quem ille: Noli interrogare, quis sim, quia nihil ad rem, sed ascende hunc equum, quem tibi exhibeo. Hinc eum ducem alioquin audacissimum horror invasisset, et signo sanctæ crucis se munivisset, spiritus cum nigro equo disparuit, et vacuus ad mittentem reversus est. A quo increpatus quod non adduxisset captivum, ordinem rei gestæ enarravit. » Denique, S. Elig. episcop. Noviomensis dicebat: « Christiano nec auguria, nec alia quælibet figmenta possunt officere, quia ubi signum crucis cum timore et fide Dei præcesserit, nihil ibi inimicæ poterit, » Audoenus, l. II. in ejus vita, c. XXVI. Ex quo colligere licet, quam perverse agant Christiani maxime, qui cum sint cruce consignati, et hoc ipso dæmoni terribiles, contra incantamenta et maleficia recurrunt ad carmina magica, aliaque superstitionosa remedia, dæmones dæmonibus pellere volentes. Quemadmodum matres et mulieres aliquæ faciunt, appendendo infantibus amuleta magica contra veneficia, item ligaturas certas contra capitis dolorem, etc. Unde Chrys. in III. ad Col. hom. VIII. contra nutrices invehitur, quæ luto inungunt frontes infantum. « Quod apud gentiles hæc fiant, inquit; nihil mirum verum quod apud eos, qui crucem adorant, et arcana mysteria communicant et hujusmodi philosophantur, hæc ignominia prævalet; hoc sane maxime est deplorandum. Deus te unguento honoravit spiritali et tu luto coinquinas filium? Deus te honoravit, tu teipsum dehoneras? Oporteret ut frondi crucem inscriberes, quæ ibi certissimam præberet cautionem. Tu autem iis omissis in Satanæ amentiam procedis. » Sic ille. Deinde, stultissime agunt, quod enim per vim dæmoni facile extorquere possent, hoc illi dato longe majore pignore ab illo redimunt. Etenim diabolo animam suam oppignorat, qui remedium ab illo capit.

Quid quod etiam alieni a fide, hoc signo dæmo-

nes eorumque machinationes deputerunt? Patet in Juliano apostata, qui cum deditus esset arti magicæ, maximus crucis hostis, aliquando secreta a magis quæreret, illicque evocarent dæmones, moxque adessent mira phantasmata et foetidi odoris monstra horribilia, terribus Julianus signo se crucis, quod contempserat, munire coactus est: quo facto dæmones effugati sunt. Refert Greg. Naz. orat. III. contra Julianum. Similiter Josephus quidam Judæus, vim crucis, qua jam antea mulier christiana ejus præstigias amatorias irritas fecerat, experiri volens, crucis signo benedixit aquam, eaque aspersionem quemdam obsessum et liberavit, teste Epiph. hæres. XXX. Unde patet crucem vim suam exerere ex opere operato: non semper quidem, sed cum expedit ad salutem. Et quid faciet in manu Christiani, si hoc facit in manu infidelis?

Refert aliud exemplum S. Greg. lib. III. dial. cap. VII. de Judæo, qui Roman tendens in Fundana terra noctu diverterat in templo Apollinis: ubi vidit media nocte dæmonum conventum, principi suo rationes reddentium, quid rerum, quisque obeundo terras gessisset, et quem multos per tentationem ad illicita, pertraxisset. « Cumque Judæus qui advenerat, inquit S. Greg. vigilans cerneret, et magna formidinis anxietate palpitaret, ab eodem spiritu, qui cunctis illis obsequentibus præerat, jussum est ut requirerent, quisnam esset ille qui jacere in templo eodem præsumpsisset; ad quem maligni spiritus pergentes et subtilius iutuentes, crucis mysterio signatum viderunt, mirantesque dixerunt: Væ, væ, vas vacuum et signatum, quibus hoc renuntiantibus, cuncta illa malignorum spirituum turbata disparuit. » Sic Greg.

Secundo, pellit morbos et omnia mala. Et primo, quidem morbi innumeri sanati signo crucis, ut refert Gretser. cap. XLIX, et L. lib. de cruce. S. Martinus Evantium liberavit a morbo, cum in via a longe cruce illum consignasset, ut refert S. Paulin. lib. IV. in ejus vita. Idem cuidam ægroto apparens dixit: *Ne timueris, sed facito super frontem tuam signum venerandæ crucis, statimque salvaberis.* In hac visione experrefactus munitusque hoc signaculo, quo fuerat jussus, nunquam alterius, quæ pertulerat, passus est, teste Gregorio Turonensi, de mirac. S. Martini, lib. IV. capit. XXXIV. Roberto pio Francorum regi gratiam in medendis corporibus, inquit Helgandus, in epitome vitæ Roberti regis, contulit divina virtus ut sua piissima manu infirmis locum tangens vulneris, et illis imprimens signum sanctæ crucis, omnem ab eis auferret dolorem. De S. Laurentio canit Ecclesia, quod per signum crucis

cæcos illuminaverit. Idque fecit Crescentioni cæco, apud Surium, tom. IV. Alii mutis loquelam eodem signo reddiderunt, ut S. Joannes Eboracensis episcopus, S. Nicetas: mortuo vitam S. Germanus episcop. Parisiensis: S. Corbinianus episcopus Frisingensis eo signo suspensum servavit. Ad regem Pipinum iter faciens, latronem suspendio adjudicatum, dum precibus a iudice liberare non valeret, signo crucis munivit, profectusque ad regem reum illum jam suspensum, sive vivum sive mortuum sibi donari postulat et impetrat, celeriterque illum triduanum in patibulo vivum repertum deposuit. Ita scribit Ottho Frisingensis, l. V. c. XXIV.

Zonaras refert, libro. III. annalium circa annum 596. Turcas dum gravi fame premerentur, a quodam Christiano eductos, signum sibi impressisse, eorumque neminem fame periisse.

Quinetiam brutis sæpe hoc signum salutare fuit. Inter alia equum rubidum Fortunatus episcopus Tuderitinus mansuetum reddidit, cum frontem ejus cruce consignasset, apud S. Gregorium Magn. l. I. dial. cap. X. Pastor etiam christianus hoves suas cruce signans, luum ab illis avertit, mirantibus vicinis pastoribus, in quorum pedes lues sæpe grassabatur, apud Severum, rhetor. christ. tom. VIII. bibliothec. ss. patrum.

Item signo crucis truculentæ feræ cicurata, uti bellua marina a S. Columba apud Adamant. lib. II. de ejus vita, capit. XVIII. Taurus ferocissimus ab Ataulpho Castellæ episcopo. Cum enim Ordonius ex Hispaniæ calumniatoribus nimium credulus in episcopum palatium regis, ad se purgandum, adeuntem taurum immisisset, episcopus cruce se munivit, et taurus ad ejus pedes mansuefactus accidit, ungi se permittens, etc. Ab aliis sanctis dracones et serpentes signo crucis interempti. Alii signo crucis edito venenum sine læsione biberant, uti S. Benedictus, et Sabinus episcopus, vel vascula confregerunt, apud Gretser. ubi supra capit. LIII. Beneficio crucis Matthias Corvin. Hungariæ rex, anno Domini 1448. servatus est, cum victore Turca adversus Hungaros in campo Merulæ sibi fuga consulens, in duos latrones incidit, eisdemque cum esset inermis se spoliandum præbuit: qui cum de aurea cruce regis certarent, arreptu mox e vagina alterius pugione illum confecit, alterum in fugam convertit, teste Bonfinio, decad. III. lib. VII.

Ad extremum sanctificat ea quibus imprimatur eaque reddit efficacia ad producendos plurimos effectus supraturæ vires, uti salem, panem, oleum, cereos, ramos, etc. exempla vide in Gretser. ubi supra, capit. LVIII. et LXV. et in trac-

ta. de bened. Unde omnes pene benedictiones per signum crucis perficiuntur.

Superest tandem, ut hanc columnam nostram debite veneremur, nobisque applicemus, quod ejus ductu et præsidio ad terram promissionis cœlestem perveniamus.

CONCIO IV.

FRUCTUS SIGNI CRUCIS QUO NOS CONSIGNAMUS.

I. Docet mysteria fidei. — II. Est character Christianorum. — III. Admonet nobilitatis christianæ. — IV. Excitat ad imitationem Christi. — V. Movet affectum commiserationis in Christum. — VI. Extinguit tentationes. — VII. Solatur in adversis.

THEMA.

Ita exaltare oportet Filium hominis. Joan. XIII.

Cum quis pretiosum aliquid invenit, nec tamen ejus usum aut virtutem novit, accedere solet ad peritos et interrogare, quem usum et utilitatem inventa res habeat. Invenit hodie Ecclesia per matrem Christiani Helenam, pretiosum sane monile, crucem Christi Domini nostri, abditam in terra. Nostrum est hoc monile, nobis est inventum: sed quis ejus usus, quæ utilitas Cave in hoc dubio interrogas Lutherum: nam ille tibi dicit: Si qua particula crucis in sua potestate foret se illam eo projecturum, quo sol radiis suis nunquam accedere posset, Luther. in conc. de invent. et exaltatione crucis: cave hireum istum. Ad Sanctam Helenam perge, quæ crucem e terræ visceribus erutam gloriose exaltavit, et splendido templo condecoravit: perge ad Ecclesiam matrem tuam, illa tibi dicit: Fili crucem istam inscribe pectori tuo, hoc sit quasi signum in manu tua, et monumentum ante oculos tuos. Quid si rursus interrogabis, cur hoc fieri debeat, respondebo tibi ad istud nomine Ecclesiæ, sanctæ matris tuæ.

I. Quia nos decet mysteria SS. Trinitatis, in carnationis, passionis, justificationis et glorificationis; item professionem nostram, mysterium Sanctissimæ Trinitatis, partim cum inter signandum dicimus: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* In nomine cum dicimus, unitatem substantiæ, divinitatis, virtutis, potentiæ et majestatis prædicamus: Personarum enumeratione, Trinitatem earum distinguimus, partim cum sine enuntiatione formamus crucem. Crux enim in frontis vertice, patrem tamquam personam primam et principium sine principio significat: crux in ore, tamquam verbi janua, Filium, qui

est Patris Verbum, designat: crux in pectore tamquam in sede amoris, Spiritum sanctum notat, qui est amor utriusque. Rursum idem mysterium representatur altero modo crucis formandæ, cum una tantum pingitur. Primo enim, manus ad frontem ducitur, ad Personam Patris primam designandam: secundo, ad ventrem demittitur, ad designandum Filium, de quo ait Pater: *Ex utero ante luciferum genui te*: tertio, a sinistra ad dexteram, ad demonstrandum Spiritum sanctum, qui est vinculum et nexus utriusque.

Inarnationis, dum a fronte ducimus manum ad ventrem, juxta secundum modum prædictum. Indicat enim hoc, Christum de sinu Patris egressum, descendisse in uterum virginis, et in eo factum hominem.

Passionis mysterium ipsa crucis effigies indicat.

Justificationis et glorificationis, dum a sinistra ducimus manum ad dexteram. Indicat enim id, per incarnationem Christi translatus esse nos ad dexteram, qui ob peccata nostra statuendi eramus ad sinistram, adeoque ab hodie ad oves transiisse, sicut Christus transivit de morte ad vitam, et de inferis ad paradysum. Porro si quinque digitis efformetur, quinque Christi vulnera insinuat: si tribus, mysterium Trinitatis: si duobus, duas in Christo naturas. Dextera manu eam pingimus, quia ea honoratior et dignior.

Denique, monet nos professionis nostræ: in pectore enim formamus crucem, ut corde credamus ad justitiam: in ore, ut eo fiat confessio ad salutem; in fronte, ut eam externis actibus et conversione publice ostendamus.

II. Quia est character Christianorum, separans eos ab infidelibus hæreticis, præsertim hujus temporis: cum enim character baptismi, interna tantum nota Christiani sit, decet ut Christianus notam etiam debeat externam et aspectabilem, quia non solum corde creditur ad justitiam, sed et ore confessio fit ad salutem, teste apostolo, ad hom. X. Judæis circumcisio fuit, signum in occulto, sed crux Christianis in publico, scilicet in fronte, quia illi non transierunt ad Christum, sed velamen habent super cor. Nos autem transivimus, ut dissevit S. August. in frag. s. XXVII. de verbis apost. ad Galat. VI. Quemadmodum sanguis in postibus ædium Hebræorum distinxit Hebræos ab Ægyptiis, et servavit ab angelo percutiente, Exod. XII. et ut Ezech. IX. angelus jubetur omnes occidere præter eos, qui signati erant signo *tau*, quod figuram crucis exprimit: sic nos per crucem et distinguimur ab alienis, et munimur contra percutientem ange-

lum. Unde S. Ephrem, lib. de pœnitentiâ ait: *Nos Christiani a gentilibus et Judæis declinemus: postea nos-tros pretiosa et vivifica cruce coronemus.* Hinc etiam Christianorum sepulcris crucem apponimus, ut ea distinguamus ab alienis. Venit aliquando S. Patricius in campis in regionibus maritimis et insulis Hiberniæ, invenitque in eo loco signaculum sanctæ crucis juxta duo sepulcra nova infixum, et de curru suo proclamans dixit: *Quis est sepultus hic?* Respondet ei vox de sepulcro dicens: *Ego sum gentilis homo et paganus.* Cur inquit, *juxta te crux Christi infixa est?* Et iterum respondit ei vox de sepulcro: *Quia, inquit, vir, qui sepultus juxta me est, Christianus fuit, rogavitque pater ejus, ut hoc signum crucis poneretur juxta sepulcrum filii sui, sed vir quidam fatuus et insensatus posuit juxta me.* Quod audiens Patricius exilivit de curru suo, auferensque crucem de gentilis tumulo, infixit eam sepulcro baptizati, Probus in ejus vita, lib. II. tom. III. Bedæ. Quis ergo erubescat pingere in fronte crucem, qua discernimur ab infidelibus et præservamur a vastante angelo, et ostendimur oves Christi esse, caractere ejus consignatæ? Audi apost. ad Galat. VI. ubi supra circumcisionem crucis gloriam extollens, ait: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi;* multo enim gloriosius est per Christi crucem redemptum esse, quam circumcisionem a Deo accepisse. Certe Constantinus Magnus tantum abest ut eam erubuerit, ut etiam pugnaturus contra Maxentium in galea velut cristam gestaverit:

Ardebat summis crux addita cristis,

canit Prudent. l. 4. contra Symmach. Quare ut milites cristis ornant galeas suas, ut hac specie animos sibi mutuo addant, et hostibus eripiant: ita et nos frontibus nostris infigamus crucem, velut signum salutis et Christi, juxta id Ephes. VI. *Galeam salutis assume.*

III. Quia admonet nos nobilitatis christianæ, qua exigente virtutes amare et a vitiis abhorrere debemus; siquidem per eam a servitute peccati redempti sumus, et quidem ingenti pretio, ut nimirum: *Peccatis mortui, justitiæ vivamus,* I. Petr. XII. et ad Gal. I. *Ut eriperet nos de præsentis sæculo nequam.* Signum nobilitatis terrenæ gerunt nobiles nostri auream catenam: sed nobilissimum est crux. *Scientes,* inquit S. Petrus, I. Pet. I. *quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati.* Et hinc ergo monemur, ut conversatio nostra sit sublimis, et de magnis rebus; ne immisceamus nos plebi et plebis ne-